

matrimonia dirimendi; his tantum impediendi data sit, admodum incertum atque obscurum est.

Verisimile est, hæc sensum invaluisse; neque ubique eodem tempore; sed alibi citius, alibi ferius.

VIII. Ex relata resolutione Gratiani haud obscurum est, seculo XII. quo floruit Gratianus, sat communiter eam distinctionem votorum fuisse receptam. Unde & eodem & sub initium sequentis seculi de validitate Matrimonii contra votum castitatis initi, interrogati Romani Pontifices, juxta hanc votorum distinctionem, tamquam indubitantur tunc receptam responderunt; uti videre est in *Cap. 4. §. 6. Qui Clerici vel voventes, &c.*

IX. Verum cum nondum sapere definitum esset, in quo ipsa solemnitas voti, qua votum illud à voto simpliciter quoad effectum dirimendi Matrimonium distingueretur, frequentes fuere quæstiones super validitate aut invaliditate Matrimonii contra votum castitatis contracti; uti videre est in responsis Pontificum, quæ sub titulo *De Regularibus*; tum sub titulo, *Qui Clerici vel voventes Matrimonium contrahere possunt referuntur.*

X. Has difficultates & quæstiones tandem diremit Bonifacius VIII. in *Cap. unico De Voto & voti redemptione in 6.* declarans, "Illud solum debere dici solemne, quantum ad post contractum Matrimonium dirimendum, quod solemnizatum est per susceptionem sacri Ordinis, aut per professionem.

Hoc Bonifacii responsum relatum in Corpus Canonicum, hodie pro jure communi receptum est; constituitque modernam Ecclesiæ disciplinam.

XI. Hinc deducitur, votum virginis etiam emissum sub certa verborum formula, atque exhibitis externis ceremoniis, etiam publice in Ecclesia in manibus alicujus Prælati, non dirimere Matrimonium; neque ad hunc effectum dici solemnizatum, nisi emissum sit in aliqua Religione per Sedem Apostolicam approbata; tametsi aliâ ratione istarum externarum ceremoniarum, præsertim si & perpetuum esset, rectè dicatur solemne; atque indubie ante hanc Decretalem Bonifacii votum solemne dictum fuisse.

Ulterius inde consecutarium est, quod, tametsi forsitan ante editam Bonifacii Decretalem, saltem aliquot seculis omnia vota solemniter diremit Matrimonium, hodie nullum dirimat vi hujus solemnitas, nisi ad hunc effectum solemnizatum fuerit per susceptionem Sacri Ordinis, aut per professionem expressam vel tacitam factam alicui de Religionibus per Sedem Apostolicam approbatis.

XII. Quod ergo in principio suæ Decretalis asserit Bonifacius, solemnitas voti ex sola Constitutione Ecclesiæ esse inventam, præcipue procedit ad hunc effectum dirimendi Matrimonium; uti supra *parte 1. tit. 30. cap. 1.* ibi quoque notavi, votum simplex Scholarium S. J. quoad hunc effectum esse solemnizatum à Gregorio XIII. per Bullam quæ incipit, *Ascendente Domino.*

XIII. Ex his facile intelligitur, quod licet primis seculis nec votum Monachorum, nec votum annexum Ordini sacro dirimisset Matrimonium, nihilominus postquam per Ecclesiam efficaciam dirimendi votis illis facta fuit, negari eis non possit ea efficacia; ni una velimus Ecclesiæ negare potestatem inducendi impedimenta; ideoque merito Synodum Tridentinam *Sess. 24. Can. 9. De Reformat. Matrimonii* pronuntialle: "Si quis dixerit Clericos in Sacris Ordinibus constitutos, vel Regulares, castitatem solemniter professos, posse Matrimonium contrahere, contractumque validum esse, non obstante lege Ecclesiastica, vel voto; & oppositum nil aliud esse, quam damnare Matrimonium, polleque omnes contrahere Matrimonium, qui non

sentiant se castitatis, etiam si eam voverint, non habere donum, anathema sit: cum Deus id rectè petenti, bus non denegat, nec patitur nos supra id quod possumus tentari.

XIV. Expressè in suo Canone Synodus Tridentina usa hac alternativa: *lege Ecclesiastica vel voto*; eo quod inter Doctores Catholicos quæstio esset, num Ordo Sacer dirimeret Matrimonium, *ex voto, an ex lege Ecclesiastica*; nec hanc quæstionem, quæ parum utilitatis habet, decidere voluerit; hoc unum sufficere arbitrata definire, Ordinibus Sacris initiatos teneri ad servandam castitatem; atque Matrimonium ab iis initum esse invalidum.

XVI. Hoc magis refert scire, quod Ecclesia jam à primis Ecclesiæ seculis Clericis præsertim in Sacris Ordinibus constitutis nuptias interdixit: ne rerum temporalium sollicitudine, ac carnalibus desideriis voluptatibusque implicati, à Divinis officiis & Ecclesiasticis ministeriis [quibus vi suæ vocationis mancipati sunt] impediatur & retrahantur; quasi ad Clericos verbis Apostolicis diceret Ecclesia: *Polo vos autem sine sollicitudine esse. Qui sine uxore est, sollicitus est qua Domini sunt, quomodo placeat Deo. Qui autem cum uxore, sollicitus est que sunt mundi, quomodo placeat uxori, & divisis est.* 1. Corinth. 7.

Hanc Ecclesiæ mentem non obscure expressit Alexander III. in *cap. 2. De Clericis conjugatis*, in prima compilatione Decretalium apud Antonium Augustinum, ubi rationem Matrimonii Clericis interdicti reddidit his verbis: "Quoniam uxorati cum diviti sint, & eos cogitare oporteat, quomodo uxoribus placere valeant, & servire, obsequiis non solummodo possunt intendere divinis." Vel ut paucioribus expressi *Cap. 3. eodem*: "Quod simul voluptatibus & carnalibus desideriis, ac Divinis & Ecclesiasticis obsequiis vacare non valeant.

Hinc facile intelligit Canonum diligens scrutator, Clericos illos, qui à nuptiis abstinent, sed secularibus negotiis, ac sensualibus desideriis sese immergunt, licet verba Canonum externamque disciplinam tenere videantur, ipsam tamen sententiam & rationem Canonum negligentes, reverà in ipsos Canones dici posse impingere.

Hanc aliâsq; rationes congruentiâ fusiùs deducit D. Huygens in suis Observationibus titulo *De Matrimonio cap. 22.*

CAPUT V.

De Impedimento Consanguinitatis & Affinitatis.

1. Quo sensu consanguinitas hic sumatur?
2. Quid linea, quid gradus?
3. Quid linea recta; & quæ complexa?
4. Quid linea collateralis?
5. Ostenditur qua sit æqualis, qua inæqualis.
6. Regula pro dignoscenda distantia in linea recta.
7. Regula pro linea collateralis.
8. Regula hæc non procedunt secundum computationem Civilem; & qua hic servanda.
9. Verisimile est, Ecclesiam primis usam fuisse computationem Civilem.
10. Seculo XI. diversitas computationis nota fuit; sed necdum ubique recepta; neque extra quæstionem.
11. Primis non videtur Ecclesia extendisse hoc impedimentum ultra gradus à legibus præscriptos.
12. Quando impedimentum ultra hos gradus extensum sit.
13. Videtur circa seculum VII. ant. LX. cepisse extendi ad septimum gradum.

14. Sed

14. Sed gradus computabatur juxta computationem Civilem.
15. Postmodum computari ceperunt juxta computationem Canonicam; & ita impedimentum extensum fuit.
16. Extensionem hanc restrinxit Concilium Lateranense ad quartum gradum.
17. Quartus gradus hic intelligitur juxta computationem Canonicam.
18. Primus gradus hic consanguinitatis in linea laterali ponit impedimentum jure natura.
19. In ulteriore gradu tantum jure positivo.
20. Ratio inducitur hujus impedimenti petita à propagatione concordie, & charitatis.
21. Altera ratio petita ab honestate & reverentia præcipue militat in linea recta.
22. Matrimonium inter consanguineos in linea recta est jure natura vetitum.
23. Quid affinitas; & unde dicta; & qua ratione contrahatur.
24. Triplex genus affinitatis describitur.
25. Olim omnia tria genera affinitatis Matrimonium dirimebant; hodie primum dumtaxat.
26. Affinitatis nulli proprii sunt gradus; & unde desumi debeat conjunctio Affinitatis inter se?
27. Circa impedimentum consanguinitatis & affinitatis ex conjunctio licita & matrimonialis nihil innovavit Synodus Tridentina.
28. Canon Synodi Tridentina de hoc impedimento.
29. Decretum Synodi Tridentina restringens impedimentum affinitatis orta ex fornicatione ad secundum gradum.
30. Decretum intelligitur etiam de impedimento impediante; & Sponsalibus de futuro.



Consanguinitas sumitur hic pro vinculo personarum ab eodem stipite propinquo descendendum; vel quatum una descendit ab altera carnali conjunctione contracto.

Ut intelligantur quæ de impedimento consanguinitatis Canones vel leges decernunt, attendi debent lineæ & gradus consanguinitatis.

II. Per lineam intelligitur series personarum quæ sunt ejusdem sanguinis participes Gradus verò generationis progressus, sive distantia consanguineorum inter se per unum generationis progressum: sive potius est habitudo distantiarum personarum, qua propinquitatis distantia inter personas duas vel plures discernitur. Linea duplex est, recta & collateralis, sive transversalis.

III. Recta dicitur illa, juxta quam plures personæ ita ab uno stipite mediâ vel immediatè carnali generatione descendunt, ut una sit ab altera genita; veluti filius à patre; nepos à filio, &c.

Dividitur hæc linea in Descendentium & Ascendentium; nam licet re ipsa sit una eademque linea, ea tamen ratione distinguitur, quod linea Ascendentium dicatur, qua à genitis ad Progenitores progredimur, illorum stipitem quaerendo; numerando patrem, avum, proavum & alios.

Linea verò Descendentium dicitur illa, qua descendimus à progenitoribus ad progenitos; scilicet à patre ad filium, nepotem, pronepotem & ceteros.

IV. Linea collateralis sive transversalis est illa, secundum quam variæ personæ ab uno stipite mediâ vel immediatè proveniunt, ipsæ tamen personæ à se invicem non descendunt. Quare filii Joannis, qui sunt fratres, inter se lineam collateralis constituunt, quia unius frater non descendit ab alio, sed ambo immediatè ab ipso patre procedunt.

V. Hæc linea collateralis duplex est: una nimirum

æqualis quæ est inter personas æqualiter distantes à communi stipite. Alia inæqualis, inter personas inæqualiter à communi stipite distantes.

Inter duos fratres est linea æqualis; quia ambo æqualiter à communi stipite, scilicet patre distant. Patrus autem & consobrinus sunt in linea inæquali; quia distant à communi stipite inæqualiter: consobrinus scilicet secundo gradu à suo avo; patruus utpotè filius hujus avi tantum primo gradu.

VI. Ut sciatur, quoto gradu consanguinei se contingant vel quo gradu inter se distent, triplex regula assignari solet. Una pro linea recta, & duæ pro linea collateralis.

Regula pro linea recta seu Ascendentium & Descendentium est: quot sunt personæ de quibus quaeritur, computatis intermediis, unâ demptâ tot sunt gradus inter eos.

Si ergo quæras, quo gradu distet proavus à pronepote, numerandæ imprimis sunt persona proavi & persona pronepotis; ac de in avi & patris per quos descendit pronepos, quæ cum faciant quatuor personas, unâ demptâ nimirum personâ proavi communi stipite, remanent tres, ac ita conficitur, proavum & pronepote esse in tertio gradu lineæ rectæ.

VII. Circa lineam collateralis æqualem, hæc regula servanda est: quoto gradu distant à communi stipite; tanto distant inter se; vel mutuo contingunt.

In linea autem inæquali hoc est: Collateralium in linea inæquali quoto gradu remotior distat à communi stipite, tanto distant inter se.

Hæc ex declaratione Arboris consanguinitatis, quæ habetur in Decreto Gratiani ad calcem *quæst. 5. caus. 35.* ubi & hæc regulæ fusiùs exponuntur.

VIII. Id quoque in hac declaratione notatur, regulas assignatas pro computandis gradibus in linea collateralis, tantum procedere secundum Canones, non autem secundum leges Civiles.

Juxta leges Civiles enim, eadem regula servatur in linea collateralis sive æquali sive inæquali, quæ juxta Canones assignatur pro linea recta; ut scilicet tot sint gradus, quot sunt personæ, quousque pervenitur ad communem stipitem, qui communis stipites subducitur: adeoque juxta hanc computationem civilem, etiam in linea collateralis unaquæque persona facit unum gradum; cum tamen secundum Canones duæ personæ tantum faciant unum gradum. Unde duo fratres secundum computationem civilem sunt in secundo gradu; quia computato communi stipite scilicet patre sunt tres personæ; & consequenter una dempta, scilicet persona patris tanquam communi stipite, manent equidem duæ personæ. Juxta computationem Canonicam verò contingunt se in primo gradu; quia uterque uno dumtaxat gradu distat à communi stipite, scilicet patre: adeoque inter se non nisi uno gradu distare possunt juxta computationem Canonicam.

IX. A modum autem verisimile est, quod Veteres computaverint gradus non juxta dictam computationem Canonicam, sed juxta computationem civilem. Ecclesia enim in similibus solita fuit regulas suas legibus Imperii conformare; ne videretur jura Imperii subvertere velle: & ita observat Cujacius ad *Cap. penult. de Consang.*

X. Quando nam hæc computatio à civili distincta invaluit, incertum est: eam seculo XI. notam fuisse colligitur ex Epistola Alexandri II. apud Gratianum *caus. 35. q. 5. Can. 2.* in qua redarguit quosdam, qui contendebant etiam juxta Canones computationem graduum instituentem modo à legibus præscripto; asseritque, discussam quæstionem in Lateranensi Consistorio, convocatis ad hoc opus Episcopis & Clericis, atque judicibus diversarum Provinciarum; denique diu ventilatis legibus & sacris Canonibus distinctè in

invenisse ob aliam causam alteram legum fieri, alteram Canon computationem... Hac igitur de causa quia hereditates nequeunt deferi nisi de una ad alteram personam, idcirco curavit secularis Imperator in singulis personis singulos præfigere gradus. Quia verò nuptiæ sine duabus non valent fieri personis, ideo sacri Canonones duas in uno gradu constituere personas.

Potest in eadem rem videri ejusdem epistola ad Clericos Neapolitanos, quæ extat *tomo 9. Concil. gener. col. 1134*. Hinc habemus eo seculo computationem harum diversitatem nondum ubique receptam, nec extra questionem fuisse; una tamen satis colligitur, eam eo tempore invaluisse ac communiter probatam fuisse. Id ipsum indicat opusculum octavum B. Petri Damiani, quod inscribitur, *De Parentela gradibus*; in quo fuscè contra quosdam Jurisperitos contendit gradus consanguinitatis in linea collateralis computationem Canonicam.

XI. Porro sicuti in computandis consanguinitatis gradibus, Ecclesia se videtur primis seculis conformasse legibus Imperialibus; ita nec consanguinitatis impedimentum ultra gradus à legibus præfixos extendisse apparet.

Id non obscure innuit S. Augustinus *lib. 15. De Civitate. Deo. 16.* scribens: "Experti etiam sumus in connubiis consobrinorum etiam nostris temporibus propter gradum propinquitatis fraterno gradui proximum, quam ratio per mores fiebat; quod fieri per leges licebat, quia id nec divina lex prohibuit, & nondum prohibuerat *lex humana*."

Hic Augustinus supponit, nuptias consobrinorum, quantumvis minus honestas, aliquando licitas fuisse; quia id nec divina lex prohibuit, & nondum prohibuerat *LEX HUMANA*.

Quod autem dicat Augustinus: *NONDUM prohibuerat lex humana*, reflexille videtur ad legem à Theodosio seniore latam, ne inter consobrinos inirentur Matrimonia; cuius legis meminit S. Ambrosius *lib. 8. epist. 66.* Nam Theodosius Imperator etiam patruales fratres & CONSOBRIOS vetuit inter se conjugii convenire, nomine, & severissimam poenam statuit, & si quis temerare ausus esset fratrum pignora.

Honorius Theodosii filius eam quoque legem memorat in *lege Unica Cod. Theod. Sinuptia ex rescripto peccantur*; uti rectè ibidem notat Jacobus Gothofredus; unà observans legem 19. *Cod. De Nuptiis*, quæ nuptias consobrinorum permittit, non esse Honorii; sed solum Arcadii qui Theodosio patri in Orientis Imperium successerat, Honorio Occidentis imperium moderante, quamvis dicta lex 5. tam Honorii quam Arcadii nomen præferat.

Itaque *NONDUM lex humana* prohibuerat conjugia consobrinorum; quia lex Theodosii *nondum* edita fuerat; at cum libros de Civitate Dei Augustinus scribebat, jam lex hæc evulgata erat; ideo quoque verbis supra relatis subjungit: "Verum quis dubitat, honestius hoc tempore *consobrinorum prohibita* esse conjugia?"

Itaque videtur Augustinus à legum prohibitionem desumpsisse prohibitionem conjugiorum inter consanguineos; nec eam ultra legis prohibitionem extendisse.

Hinc quisque facile intelliget, quid censendum de Decretis quæ sub nomine primorum Pontificum Fabiani, Calixti, & Julii referuntur apud Gratianum *caus. 35. q. 2.* ubi impedimentum hoc, etiam ultra consobrinorum extenditur.

XII. Quo verò tempore impedimentum consanguinitatis ultra præfixum à legibus Imperatorum gradum extendi cepit, incertum est; illud sat certum, sensim ea impedimenta invaluisse; nec ubique eodem tempore recepta fuisse.

Responsio sancti Gregorii ad sextam interrogationem Augustini Anglorum Apostoli non obscure supponit, æ-

tate Gregorii impedimentum hoc ad septimum gradum fuisse extensum: quod & apertius indicat *Epist. 12. lib. 12.* ejusdem Pontificis.

Verum prædictam responsionem si quis ex varietate lectionem, ex contextus inæqualitate, ex doctrina merito prudenter attenderit de Authore forsitan dubitabit, ait eruditus Operum S. Gregorii Revisor in notis ad hanc responsionem; qui & de citata *Epist. 32.* hoc iudicium subjicit: "Verum quam sit corrupta & deformata, clarum est ex multis interpolationibus & repetitionibus inutilibus, quas Lector studiosus & prudens inter legendum observabit. Ideò à quibusdam reprobatam est, tamquam Gregorio magno indigna."

XIII. Quidquid sit, hoc interim vel ex supposititis Epistolis primorum Pontificum à Pseudo-Isidoro circa seculum 8. aut 9. confictis, & in Decretum Gratiani postmodum relatis, intelligitur, circa tempus Pseudo-Isidori impedimenta consanguinitatis ad septimum gradum cæpisse extendi: etiam eodem tempore graduum computatio fieret juxta computationem Canonicam supra descriptam; an verò juxta computationem Civilem non sit expeditum est.

XIV. Verisimile est, primitus computatos fuisse secundum leges; & consequenter Matrimonium tantum fuisse vetitum usque ad quartum gradum inter inæquales; uti notat Cujacius ad *Cap. penultimum. De Consanguinitate*, quod & indicat supposititia Epistola Calixti I. apud Gratianum *caus. 35. q. 2. Can. 2.* quæ postquam dixit Consanguineorum conjunctiones vetitas, tandem subjungit: "Eos autem consanguineos dicimus, quos Divina, & Imperatorum Romanorum atque Græcorum leges consanguineos appellant, & in hereditatem suscipiunt, nec repellere possunt."

Et ibidem *Can. 1. ex Concilio Meldensi* dicitur: "De affinitate consanguinitatis per gradus cognationis placuit usque ad septimum generationem observare. Nam & hereditas rerum per legales instrumentorum diffinitiones sancita usque ad septimum gradum protendit hæredum successionem. Non enim succederent, nisi eis de propagine cognationis deberetur."

Hæc probatio ex successione legali in hereditatem desumpta inefficax planè & à scopo aliena fuisset, nisi gradus conformiter ad legum præscriptum computati fuissent.

XV. Interim seculo undecimo invaluit computatio Canonica; & septimus gradus de quo in præcitatis epistolis juxta eam computationem accipi cæpit; idque præcipuè autoritate præallegata responsionis & epistolæ S. Gregorii; uti videre licet apud Petrum Damiani in citato opusculo; atque ita impedimentum consanguinitatis in linea collateralis tandem ad septimum gradum juxta computationem Canonicam, & decimum quartum juxta computationem Civilem extensum fuit; idque tempore Alexandri III. pro jure receptum fuisse, non tantum quoad consanguineos, sed etiam affines constat ex Decretali hujus Pontificis in *Cap. 1. De Consanguinitate*.

XVI. Porro Concilium Lateranense sub Innocentio III. perpendens hanc impedimenti extensionem absque gravi incommodo non posse observari, voluit, ut prohibito copulæ conjugalis *quartum* consanguinitatis gradum de cætero non excedat; quoniam in ulterioribus gradibus jam non potest absque gravi dispendio hujusmodi prohibitio generaliter observari. Hæc Constitutio relatâ in *Cap. 8. De Consanguinitate* hodie utimur.

XVII. Indubitatum est, quartum gradum hic sumendum esse juxta computationem Canonicam; unde resolvit Gregorius IX. in *Cap. fin. De Consanguinitate*; Vir qui à stirpe quarto gradu, & mulier, quæ ex alio latere distat quinto, secundum regulam approbatam quâ

quâ dicitur; Quoto gradu remotior distat à stirpe, & à quolibet per aliam lineam descendenti ab eodem, licitè possunt matrimonialiter copulari.

XVIII. In primo gradu consanguinitatis lineæ collateralis Matrimonium illicitum esse, non tantum jure humano positivo, sed naturali non pauci contendunt; ipseque Augustinus *lib. 15. De Civitate Dei cap. 16.* factetur, etiam Gentiles lumine naturali hujusmodi conjugia exhorruisse: "Quod humano genere crescente, & multiplicato (ait) etiam inter impios Deorum multoties saliorumque cultores sic observari cernimus, ut etiam si per veras legibus permittantur fraterna conjugia, melior tamen consuetudo ipsam malit exhorret licentiam; & cum sorores accipere in Matrimonium primis humani generis temporibus omnino licuerit, sic avertitur, quasi nunquam licere poterit."

XIX. In ulteriori gradu lineæ collateralis, Matrimonium hodie *solo jure Ecclesiastico* vetitum esse, & contractum divini expeditum est, supponit quoad Innocentius III. in *Cap. 8. De Divortio* respondens, infideles qui in secundo aut tertio consanguinitatis gradu contraxerant, si ad fidem convertantur, non esse sepeandos: eò quod "in præmissis gradibus à Paganis quoad Matrimonium licitè sit contractum, qui Constitutionibus Canonicis non arctantur."

XX. Cur verò jam pridem, tum per Leges, tum Canones inter consanguineos conjugia vetita fuerint, tradit Augustinus loco citato. "Habita est enim [ait] ratio rectissima charitatis, ut homines, quibus esset utilis atque honesta concordia, diversarum necessitudinum vinculum necerentur; nec unus in una multas haberet, sed singulæ spargerentur in singulos; ac sic ad socialem vitam diligentiùs colligandam plurimæ plurimos obtinerent. Pater quippe, & socer duarum sunt necessitudinum nomina. Ut ergo alium quisque habeat patrem, alium socerum, numerosius se caritas portigit."

XXI. Hæc Augustinus cujus fragmentum est apud Gratianum *caus. 35. q. 1. Can. 1.* qui ibidem hanc rationem conciliandæ concordie per familias pluribus exponit, ac dein aliam adjungit his verbis: "Non solum secundum ea quæ disputavimus, propter multiplicandas affinitates, ne habeat duas necessitudines una persona; cum duæ possint eas habere, & numerus propinquitatis augetur, sed etiam quia nescio quomodo inest humanæ veteriæ quiddam naturale atque laudabile, ut cui debet causa propinquitatis reverendum honorem, ab ea contineat, quamvis generatricem, tamen libidinem, de qua erubescere videmus & ipsam pudicitiam conjugalem."

XXII. Hæc posterior ratio potissimum obtinet in linea recta seu Ascendentium & Descendentium; inter quos etiam in omni gradu Matrimonia illicita & invalida esse, atque semper fuisse jure naturali, expeditum est, juxta illud Nicolai Lin. Responsis ad Consultationes Bulgarorum *c. 39.* "Inter eas personas quæ parentum liberorumque locum inter se obtinent, nuptiæ contrahi non possunt, veluti inter patrem & filiam, vel avum & nepotem, matrem & filium, aviam & nepotem, & usque *ad infinitum*."

XXIII. Uti varia fuit circa consanguinitatis impedimentum disciplina; ita & circa affinitatis.

Affinitas secundum Canones & personarum proximitas ex copula carnali proveniens & omni carens parentela. Et dicitur *Affinitas*, quasi duorum ad unum finem unitas, eò quod duæ cognationes diverse per copulam copulantur, & alter ad alterius cognationis finem accedit.

Juxta Canones affinitas contrahitur non tantum per actum matrimoniale licitum, sed etiam per fornicari-

um aut alias illicitum. *Cap. 8. & 9. De eo qui cognovit consanguineam uxoris suæ.*

XXIV. Olim triplex erat affinitatis genus, quod copiose & sat clarè exponit Glossa ad *Cap. 8. De Consanguinitate*; sufficitque exemplo sequenti paucis exponere: Uxor fratris mei est mihi consanguineis que mei affinis in primo genere affinitatis; mortuo verò fratre meo, si illa alteri nubat, hic secundus ejus maritus erit mihi meisque consanguineis affinis in secundo genere affinitatis; & rursus, mortua uxore fratris mei, si hic secundus ejus maritus aliam uxorem duxerit, illa me cæteroque consanguineos meos continget in tertio affinitatis genere nam copula addita copulæ efficit hæc diversa genera affinitatis.

XXV. Hæc tria genera affinitatis olim Matrimonii impedimento fuisse docent Canonistæ, atque secundo & tertio generi occasione dedisse videntur Decreta quæ sub nomine Fabiani Papæ & Palchalis II. referuntur à Gratiano *caus. 35. quest. 3. Can. 3. & 22.* quæ sola à Canonistis in hanc rem allegari solent. Quidquid sit, tria illa genera aliquando impedimentum dirimens Matrimonium fecisse, evidenter supponit Concilium Lateranense in citato *Cap. 8.* declarans, quod prohibitiones de conjugio in secundo & tertio affinitatis genere minime contrahendo, difficultatem frequenter inducant & aliquando periculum pariant animarum; ac dein subjungit: "Constitutiones super hoc editas, sacri approbatione Concilii renovantes, præsentis constitutione de cætero, ut sic contrahentes de cætero liberè copulentur."

Unde juxta hoc Decretum impedimentum affinitatis ad primum genus affinitatis restrictum est; neque ullâ hodie habeatur ratio secundi aut tertii generis affinitatis.

XXVI. Porro affinitatis propriè nulli sunt gradus, ut ait Jurisconsultus in *L. 4. §. Gradus ff. De Gradibus*; quia cum nullæ sint affinitatis generationes, etiam nulli gradus propriè haberi possunt; nam juxta generationes gradus institui solent, uti observat Cujacius ad titulum *De consanguinitate*; sed gradus affinitatis, si qui sunt, ex ipsa cognatione sive consanguinitate desumuntur.

Eo enim gradu affinitatis quis alteri partium jungitur quo alteri per consanguinitatem junctus est; & mulier eò gradu est affinis consanguineis viri, quo vir illis est junctus gradu consanguinitatis.

Hinc qui marito est consanguineus in linea recta Descendentium aut Ascendentium, in eadem linea censetur affinis ejus uxori; idque eodem gradu affinitatis, quo attingit maritum per consanguinitatem. Idem est quoad lineam collateralem.

XXVII. Circa impedimentum consanguinitatis, aut affinitatis quæ oritur ex conjunctione licita & matrimoniali, nihil innovavit Synodus Tridentina; adeoque secundum juris communis dispositionem, manet impedimentum consanguinitatis in linea recta in infinitum; quoad lineam verò collateralem usque ad quartum gradum juxta computationem Canonicam similiter & quoad affinitatem ex conjunctione legitima matrimoniali.

XXVIII. Pronuntiavit autem Synodus anathema in eum qui dixerit, "eos tantum consanguinitatis & affinitatis gradus, qui Levitico exprimentur, posse impedire Matrimonium contrahendum, & dirimere contractum; nec posse Ecclesiam in nonnullis illorum dispensare aut constituere, ut plures impediant & dirimant."

XXIX. Impedimentum quod propter affinitatem ex fornicatione contractam inducebatur, & Matrimonium contractum dirimebat, Synodus Tridentina *sess. 24. cap. 4. De*